Quelle: http://manuscripta.at/?ID=392
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

preeminenciam propter suum Regale solium habet nec oportet allegare antiquitatem
suam cum etiam si in ipsis inmunabilis esset deberet preferri Sed tamen ut
omnia comprehendamus et nichil omittatur etiam sic considerata antiqui-
tate excellit Nam ista consideracio potest haberi dupliciter primo per respectum ad
etatem horum duorum regum et sic considerando clarum est quod precedit dominus meus
rex dominum regem Anglie Secundo per respectum ad tempus in quo regnare ceperunt sicut
solet considerari in prelatis Nam precedunt ante promoti attento tempore in quibus
ordinem receperunt di. xvij. §. si. ubi rex est secundum hunc respectum constat quod
dominus meus Rex castelle est antiquior in regno domino rege Anglie Nam
sunt viginti octo anni quibus divina fauente clemencia regnat, dominus vero
Rex anglie incepit regnare a duodecim annis citra et sic concluditur manifeste
quod quamcumque consideracione antiquitatis habita dominus meus rex castelle precedit
dominum regem anglie ex quibus omnibus clarum et fundatur sequens secunda conclusio.

Secunda conclusio

2a 9o Licet nobilissime Regales sedes Castelle et Anglie antique sunt Tamen
regalis Castelle sedes tam a primo ortu quam a regeneracione longe
antiquior est. Tercium quod inducit coniecturam et presumpcionem virtutis
et attrahit nos ad honorem exhibendum est eminencia dignitatis
Nam quanto dignitas est eminencior tanto presumitur maior virtus
Ideo debet ei exhiberi maior honor et tunc non attenditur antiqui-
tatem temporis sed propriam eminenciam dignitatis ut di. xcviij c. placuit
Et licet in casu nostro utraque dignitas sit regia et videatur equalis
Tamen possunt considerari duo propter que dignitas Regia Castelle potest dici
eminencior Primum ad clariorem intellectum animaduertendum est quod ut iuxta
Aristotelem loquar, tanto honorabilior est principatus quanto honorabiliorum
hominum est quod Justinianus dicit contra quilibet preest melioribus tanto maior
ipse et honestior est in autentica de defensoribus ciuitatum §. Nos igitur coll. iij
Nam licet potestas regalis sit a deo tamen per ministerium populi inceperunt
regna Ideo cum iurisconsultus de potestate Imperatoris loqueretur dicit lege
regia que de imperio eius lata est omne imperium ei et in eo populus transtulit
ff de constit. prin. l. i. . prin. Sed quia hec materia profundissima et latissima
est hic illam inculcabo sed hoc solum sufficiat dicere quod cum a deo per ministerium
populi inceperunt regna Rationabiliter sequitur quod quanto populus maior est et dif-
ferencior pulchriori differencia et terra lacior tanto est eminencior et ho-
norabilior principatus quod satis patet sine probacione Sed etiam probari potest
per sacram scripturam dicente ore Salomonis In multitudine populi dignitas
regis prouerbiorum xiiij et Aristoteles in j° Rethorice Inter certas res quas commendat